

nibus congruenti, anniuersarium autem pro mortuo nullus nisi qui voluerit facere teneatur, Si autem super premissis Juribus exigendis seu exhibendis dissensio oriatur, tunc sacerdos duos viros, & ille a quo aliquid exigitur alios duos viros assumant, quorum arbitrio dicta dissensio terminetur, quam si dicti viri terminare nequiverint, ad prepositos dicta dissensio referatur, Quecunque autem ecclesiastica secularisve persona, contra hanc nostram ordinationem in premissis vel quolibet premissorum venire presumpserit, indignationem nostram atque vindictam, se nouerit incursum, In cuius rei testimonium sigilla nostra, & sigillum domini Thýrgilli Marskalki, agentis tunc negocia regni cum hec statuebantur, Presentibus sunt appensa, Actum stocholmis anno domini. M°.CC°. Nonagesimo septimo, Tercio Idus Julij.

Sigillen N:o 1, 3 bortfallna; N:o 2 andeligt, skadadt.

1203.

1297 d. 3 Aug.

Säckestad.

Biskop BRYNOLFS i Skara vittnesbörd, att Biskop Dan vid herremötet i Örebro, sedan han derstädes invigt sin efterträdare Ysar, och i Stockholm vid den tid då Konung Magni likbegängelse firades och tåget mot Karelerne anträdde, afstått all sin rätt till gårdarne Thegnaby och Mundrithorp, som hans broder, Biskop Anund hade testamenterat till Strängnäs Domkyrka.

A. 3. g. 3: 4.

Omnibus presens scriptum inspecturis, B. Dei gracia skarensis Episcopus, Salutem in Domino sempiternam. Notum facimus vniuersis tam posteris, quam presentibus, & testamur. Quod nobilis vir Dominus Dan jons. son. inmediate post consecracionem Reuerendi patris, fratris nostri Domini ysari Episcopi Strängenensis in øræbro vbi consilium Domini nostri regis habebatur, coram nobis ac multis alijs nobilibus & discretis, constitutus, omni juri & actioni, quod vel que in curia thægnæby sibi compeijt vel competere posset, renunciauit penitus & expresse. Jtem Dictus dominus dan, conuocato jterum concilio Domini nostri regis in stocholm, tempore quo expedicio estualis ad Karelos primo mittebatur, & exeque Domini Magni pie memorie quondam regis ibidem celebrabantur, in presencia nostra ac multorum discretorum lidærum constitutus, renunciauit omni juri & actioni quod vel que in curia mundrithorp sibi compeijt, aut competere videbatur. Quas quidem curias thægnæby videlicet & mundrithorp, Reuerendus pater dominus annundus frater predicti Domini dan, felicis recordacionis episcopus quondam strängenensis, Ecclesie strängenensi reliquit, racione ac nomine testamenti. In premissorum igitur testimonium & euiden-

ciam pleniorum sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Sækkystadum, Anno Domini M<sup>o</sup>,CC<sup>o</sup>,XCVII<sup>o</sup>. Tercio Non. Augusti.

Ett stycke af sigillet finnes.

1204.

1297 d. 10 Aug.

Kyrkoherden i Ryd Åkes Gåfvobref på jord i Berga till Alvastra kloster.

A. 3. v. 1: 15. \*).

Vniuersis christi fidelibus presens scriptum visuris vel auditoris, ACHO plebanus ecclesie rydh, Salutem in omnium saluatore, Tenore presencium tam futuri nouerint quam presentes, me sanum corpore vtinam & anima terciam partem octonarij terre cum .XVI:a parte existentis in bierghum fratribus aluastrum pro salute & refrigerio anime mee contulisse iure hereditario inperpetuum possidendo, Ista tamen condicione imposita quod me uiuente vsui meo terra cederet memorata, prolocucionem autem dictam fest super hoc facto cercius firmando magnus cristine filius deferebat, presentibus, Domino swantapolk Domino Nicholao condam cellario, Dan rangwalzson Rangwaldo dicto ata necnon & alijs quamplurimis fidedignis, Fratribus itaque supradictis exequorem huius dati Dominus swantapolk se spondit, Cuius eciam sigillum in huius rei euidentiam firmiorem yna cum meo presentibus est appensum, Datum anno domini M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XC<sup>o</sup>.VII<sup>o</sup>. In festo sancti Laurentij.

Sigillen 1, 2 bortfallna; efter 3 finnas blå trådar qvar.

1205.

1297 den 4 Sept.

Alsnö.

Marskalken THORREL KNUTSSONS Bref till Helsingarne om utgörande nu som vanligt af vissa förut åtagna utlagor till deras sockneprester.

A. 6. a. 2: 35.

THYRGILLUS KNUTSON Illustris sueorum Gothorumque regis Marskalkus, vniuersis helsingiam inhabitantibus salutem in domino sempiternam, volumus & mandamus Quatinus obuenciones, seu pensiones, ex longa consuetudine & laudabili institutione debitas, quas presbiteris vestris parochialibus propter statuta quedam per vos & inter vos facta, ac publicata, ad tempora aliqua

\*) Finnes äfven i afskrift A. 3. v. 1: 16. utfärdad 1401 af riddaren Nils Magnusson m. fl. Både original och copia mycket skadade af fukt.